

$\pi m$   
584





II n  
584

ORATIONES  
ALIQVOT  
DE  
LITIBUS  
IN REPUBLICA

*aut plane tollendis, aut saltem brevi  
finiendis*

JUVENES NONNULLI

Optimis studiis, morum probitate, ingeniique  
præstantia instructissimi,

AD

CELEBERRIMAS ACADEMIAS

*ex umbraculis Scholæ nostræ digressuri*

CRAS,

DEO benigne annuente,

finitis Sacris pomeridianis

*habebunt,*

simulque gratiis pro tot acceptis beneficiis decenter perfolutis

*valedicent;*

Hos ut

PATRONI, OMNESQUE REI  
SCHOLASTICÆ ÆSTIMA-  
TORES NON INIQVI

*audire ne dedignentur,  
perhumaniter atque officiose*

ALTERO HOC DE HUNNIS SCHEDIASMATE

*convocatum it*

JONAS GELENIUS, Cruciani Rector.

DRESDÆ, Imprimebat JOH. CONR. STOESELLIUS, Typ. Aulic.





Quod superiore quodam Schediasmate demirabar, fuisse quosdam, uno hodie adhuc superesse, Viros cetera doctissimos, qui ea ducti sunt, & ducuntur etiamnum opinione, *HUNNOS veteres populum fuisse Slavicum, Slavica etiam lingua usum, nec quidquam ad bodiernos HUNGAROS pertinentem*; tamen aperte atque ingenue confiteri cogor, longe impensius me admiratum eos, qui *HUNNOS jam dictos, neque Slavica, neque alius cujusdam gentis, sed GERMANOS fuisse*, omni contentione asseverant; ut adeo frustra illi fuerint, & qui eos citat Lanfius in Oratione sua contra Hungariam, qui truculenta illa, atque dictu factuque horrenda hodiernorum Hungarorum majoribus impropere sustinent, quæ tamen macula veteribus Germanis potius hac ratione inurenda foret. Ut enim nihil jam dicam de Beroso (a) atque Alberto Cranzio (b) undecim Tuiscons, Germanorum & Sarmatarum à Tanai usque ad Rhenum, Parentis filios enumerantibus, quorum nomina: Mannus, Ingavon, Hermion, Marfus, Gambrius, Svevus, Wandalus, HUNNUS, Hercules, Teutanes, qui demum quisque suis gentibus, *sermonis commercia haud discrepans*, sua nomina dederint; nunc tantum Irenicum juvat allegare, qui in Exegesi Germaniæ suæ (c) hæc de Hunnis nobis narrat. HUNNI, inquit, GERMANICA lingua utebantur, ut, qui vitam Artike scripserunt, satis demonstrant. HUNGARI vero semper alienissimam ab idiomate Germanico sortiti sunt. Unde ego adductus sum, ut non facile Hungaris originem Germani-

(a) Lib. II. Orig. (b) Lib. II. Danica cap. XXI. conf. Relius. (c) cap. 37.

nicam concefferim: HUNNOS rigor fermonis GERMANOS esse prodit, Hungaros autem alienos. Haufit ille fententiam fuam ex Berofo, fabularum conditore in-  
 clyto, quem etiam fecutus eft Aventinus in Hiftoria fua Bojoaria. (d) Hanc etiam operofa conatu defenfum it  
 contra SCHEDELIUM TROESTERUS in Dacia  
 fua Nova-antiqua, (e) qui demum quafi res omnis jam in va-  
 do foret, ita exclamat: GERMANI funt ipfi HUNNI,  
 Germanicum eorum idioma, Germanicum Attilæ nomen.  
 Sed recte hanc fententiam fuo jam tempore refellit THU-  
 ROCIUS, Rerum Hungaricarum, licet Barbaro adhuc secu-  
 lo, Scriptor luculentus: Voluere, inquit, nonnulli, maxi-  
 me Frater Martinus, qui Romanæ Hiftoriæ compendium  
 generavit, quod hæ tres nationes, puta HUNNI, GO-  
 THI & WANDALI, una eademque effer generatio,  
 & ejuſdem fuiſſet labii five lingvæ, tantummodo nomini-  
 bus differrent. Nulla ratio hoc admittit, nec illi quibus  
 hæc placuere, evidenti fuam intentionem documento pro-  
 bant. Nam Hunni Gothos propriis fedibus expulſiffent  
 minime, fi Hunni & Gothi eadem generatio fuiſſent.  
 Præterea Gothi priores Hunnis, dum nec Hunnorum au-  
 diebatur ſtrepitus, Romano Imperio infeſti fuere: Wan-  
 dali autem longe poſt Hunnorum egreſſum Scythicis de  
 partibus erumpentes. Ad quæ verba doctè Clariffimus Be-  
 lius annotat: (f) Thurotzius recte aſſerti rationem depo-  
 ſcit, ipſe tamen non fatiſ idoneam adfert, cum inde di-  
 verſos populos, Gothos & HUNNOS fuiſſe colligit,  
 quod hi illos fedibus ſuis eiecerint: enimvero obvia ap-  
 ud Hiftoricos funt exempla, gentem ſæpe eandem mu-  
 tuiſ ſe armis confeciſſe. Itaque Vir Clariffimus aliam in-  
 greditur, quâ errorem iſtum convellat, rationem. Nimi-  
 rum, ipſe Gothus, & Gothicarum rerum Scriptor Jornan-  
 des, Hunnorum lingvam Gothicam fuiſſe negat: *quafi*,  
 inquit, *hominum genus, nec alia voce notum, niſi qua huma-  
 ni fermonis imaginem adſignabat.* Talem fanè lingvam  
 Hunniacam non dixiſſet, ſi aliqua ei cum Gothico idio-  
 mate extitiſſet ſimilitudo. Hinc Zerchon ille Maruſius,  
 teſte Priſco Rhetore (g) riſum inconvivio Attilæ omni-  
 bus elicit, quod Hunniacam lingvam cum Gothica & Au-  
 ſonia miſcuerit: arrepta, *inquit*, feſtivitatis occasione

(d) Lib. I. c. 6. p. 20. & Lib. III. p. 20. Edit. Gundlingianæ, aliſque locis pluribus.  
 (e) Lib. III. c. 5. (f) Hungariz Antiquo hodiernæ lib. I. Sect. I. c. 1. §. 23. (g) De  
 Priſco hoc Rhetore vide Voſſium Lib. IV. de Hiftoricis Græcis p. 488.

(Zerchon) & forma & habitu, & pronunciatione & verbis confuse adeo prolatis, modo Aufoniorum, modo Hunnorum, modo Gothorum, (qui sine dubio Germani) linguam intermiscens, omnes lætitia & hilaritate diffudit, & effecit, ut in risum, qui sedari & extingui non potuit, prorumperent, excepto Attila. Attilas enim vultu omnismutationis expertus & immotus permansit, neque quidquam facere, quod jocum præferret conspectus est. Atque vel hinc videre licet, discretam hic linguam Hunnicam, a Gothica, (Germanica.) Stat itaque talo firmo: Hunnos veteres neque Germanum, neque Slavicum fuisse populum, sed peculiarem quandam gentis Scythicæ per Asiam Europamque late diffusæ propaginem, præsentis gentis Hungaricæ genitricem, eademque etiam cum hac, Hungarica nimirum, lingua usam. Quod ipsum præter argumenta, superiore in medium allata Schediasmate, evidentissime testatur jam laudatus nobis Jornandes: (h) Cum Attilæ filii, scribens, contra Gothos, quasi desertores dominationis suæ, velut fugacia mancipia requirentes, venirent; ignarisque aliis fratribus super Valamir solum irruerent, quos tamen ille, quamvis cum paucis exceptit; diuque fatigatos, ita prostravit, ut vix pars aliqua hostium remaneret, quæque in fugam versâ, eas partes Scythiæ peteret, quas Danubii amnis fluente prætermeant, quæ lingua sua *Hunniwâr*, (non ut Trösterus vult: *Hunnentwart*) appellant. Merito in hoc argumento triumphant *Berneggerus* & *Schedelius* in notitia Hungariæ Antiquo modernæ *Joh. Ferdinandi Behamb*: (i) En, ajunt, hic murus alienus esto! *Hunniwâr* est vera imago, sive typus totius linguæ Hunnorum, ac significat Hunnorum arcem vel civitatem; compositum nimirum ex Hunni & Wâr sive Varas, quod hodiernis etiam Hungaris arcem vel civitatem significat. Hanc ipsam interpretationem nisi veram credamus, admodum caligabimus in his compositis denominationibus *Pofonivâr*, *Colosvâr*, *Valkovâr*, *Egervâr*, *Sasvâr*, *Temesvâr*, *Serinvâr*, & compluribus aliis appellationibus civitatum & castrorum, quæ in Hungaria ferme ad radices vel apices montium posita sunt. Locorum hæc nomina perlique Germanicè per burgum efferunt, ut *Pofonivâr* *Presburg*, *Ovâr* *Alfenburg*, *Colosvâr* *Klausenburg*, &c. Sed quid fiet de voce *Strawa*, cujus loco vox

*Pro*

(h) De Rebus Geticis, c. 2. (i) Recusa Argentor. 1676. pag. 91. §. 174.

*Homada*, lapsu senilis memoriae, in schediasina superius  
irrepfit? Hanc vero Slavicam esse, nemo hujus lingvæ  
gnarus inficiari poterit. Vocant enim adhuc hodie  
*Estravam* consumptionem, convivium, commessatio-  
nem; *Estravit*, consumere, convivari; *Estravny* in  
convivio temperans, parcus cibi. At vero Jornandes in  
Rebus Geticis de magnificis Attilæ exequiis expresse:  
*postea quam talibus lamentis est desectus, Estravam super  
tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti commessatione  
celebrant, & contraria sibi copulantes luctum Funerem mix-  
to gaudio explicant.* Mire hic sese torquent Berneggerus  
cum Schedelio, ut nodum hunc aut solvant, aut saltem se-  
cent, ut videre est apud citatum jam Behamb; sed credo  
ego eos rem intricare magis, quam extricare aut exsolve-  
re. Si enim *Estrava* pure Scythico-Hunnicum vocabu-  
lum est, cur nullum ejus in hodierna lingva Hungarica  
vestigium, quod tamen in Slavica extare jam ostendimus.  
Et quis sub Sauromatis Hunnos etiam contineri nos satis  
edocuerit, qui magno eruditorum consensu gens potius  
Slavica existimantur. Aliam itaque viam ad nodum  
hunc enodandum ingrediendam esse, pace doctissimo-  
rum virorum existimen. Hunnos & Slavos Amicos  
Commilitonesque ab antiquissimis fuisse temporibus,  
Auctores fide dignissimi memorant; qui rei vel illud sit  
documento, quod hodieque Slavi Hungaris passim inter-  
mixti vivunt, imo maximam superioris Hungariæ partem  
coloniis suis compleverint, quam igitur facile fieri potuit,  
ut gens una ab altera, unum alterumque vocabulum mutuo  
sumferit propriumque sibi fecerit. Quot hodie Slavi Hun-  
garis immixti, ab iis rerum appellationes desumere? No-  
tum est utriusque lingvæ gnaris commultas voces pure  
Hungaricas esse, quas tamen Slavi iis commixti usurpant,  
ab iisdem remoti ignorant, & rident. Et quis inire poterit  
numerum verborum, quibus Slavi à Germanis acceptis com-  
muniter hodie cum iis utuntur? talia sunt: *Rathhaus,*  
*Richtar,* *Burgmister,* *Schwager,* &c. quid ni igitur &  
Hunni à commilitonibus Slavis vocem *Estrava* mutuari,  
& ferale illud convivium ita appellare potuerint? qui fortas-  
se & ritum ipsum, ut fieri solet, à Slavis, ut pote gente cultio-  
re & commessationum amante, mutuo accepere. Ve-  
nio nunc ad illos, qui vestigia lingvæ Hungaricæ in Fin-  
nica se invenire, atque ita utriusque populi *cunabula* si non

eadem, saltem proxima existimant. Testem hujus rei producit vir magnus JOH. AMOSUM COMENIUM, scriptis ut variis celebrem, ita diversis doctorum virorum judiciis mire obnoxium: hunc enim nescio quid Hungarici in lingua Finnica deprehendisse memorat. Enim vero ut animi mei sensa hac in re clare enunciem: Comenio, utpote natione Moravo, atque ita gentis Slavicae, ut hoc ipsum accredam, à me adhuc impetrare non possum: quæ assensum meum sufflamant, hæc fere sunt, nimirum, qui de Finnis quidpiam literarum monumentis consignavere, hujus rei plane nullam mentionem faciunt, quin potius diversa nos edocent. Audiamus vel unicum Andreæ Bureau, Svecum, qui in Descriptione Finlandiæ (k) hæc commentatur: Linguam Finnonum peculiarem habent, à reliquis populorum lingvis plane diversam, quæ cum aliquot habeat proprietates, reliquis Europæis lingvis non communes, eas obiter hic recensere libuit. Primo enim in tota lingua sua carent littera F, neque ullam habent dictionem, quæ inchoatur à B. D. vel G, vel à duabus consonantibus. Quæ res Finnonum ad discendas lingvas inhabiles facit, nisi hoc vitium ab ineunte ætate corrigatur. Si enim in pueritia non addidicerint aliam linguam, adultiores facti, non possunt discere pronuntiationem earum vocum, quæ à prædictis literis, vel à duabus pluribusve consonantibus incipiunt: sed priores consonantes semper elidunt, ut pro grex dicant rex; pro gratus, ratus, pro spes, pes; proedere, rodere, strepere, reperere. Hactenus Bureau apud Soterum. (l) Gemina his habet Zeilerus in Finlandia sua, quæ cum ex Bureau hausisse videtur, iis adducendis superfedemus. At vero, amabo, quot vocabula sunt Hungarica, quæ non his tantum elementis gaudent, sed etiam à gemina consonante incipiunt. Evolvat, si cui libet, aut ad manus est Hungarorum illius Varronis Alberti Molnar Lexicon Latino-Hungaricum & Hungarico-Latinum, cujus Editio, nisi fallor, postrema prodit Franof. ad Mœnum 1656. vah! quot ibi voces litteram F habentes, aut etiam à literis B. D. G. & duplici consonante incipientes, reperiet? Præterea Orationem si Dominicam lingvæ Finnicae cum Hungarica contenderis, quam hic aliena omnia, quam dissona! vide B. Bohemi Præceptoris nostri ætatem venerandi Progr. Vol. II. (m) ubi variarum linguarum jam lau-

(k) p. 57. (l) in Descript. l. cit. (m) p. 394. 494.



laudatæ Precationis Dominicæ exempla ex Gesneri Mi-  
 thridate, aliisque Scriptoribus in medium adducit. Enim-  
 vero unius alteriusque voculæ *νευρόνη*, non statim totius  
 linguæ *νευρόνητα* evincit, ut facile quilibet mihi largietur.  
 Vidit hoc ipsum ὁ πῶν Lipsius, hinc alicubi scribit: (n)  
 Fatendum est, & ego observavi, (tecumque, Lipsi do-  
 ctissime, multi alii summi Viri, quos citatos vide apud ce-  
 leberrimum Fabricium Lib. IV. Bibliothecæ Græcæ[o])  
*Ut ratio communis hominum. sic & verba alibi esse: sive*  
*traductione. & gentium mixtione. sive casu potius, an Ge-*  
*nio administrante?* Sed cum in his non vertatur salus  
 Græciæ, neque tanti sint, quæ fluentem procumbentemque  
 Rempublicam aliquam sustinere queant, hinc facile quem-  
 que suo patimur abundare sensu, atque ad oratores no-  
 stros gradum proferimus. Passim hoc tempore de e-  
 mendandis tum in jure dicendo, tum causis agendis  
 occurrentibus nævis consilia agitari, neminem re-  
 rum civilium vel obiter gnarum præterire arbitror,  
 ne aut longo litium sufflamine, aut litigantium pro-  
 tertervia, causæ atterantur potius, quam componantur.  
 Nos ut umbratici & de Schola homines, quo genere ho-  
 minum, ut ait, C. Plin. Cæcil. Secundus nihil aut simpli-  
 cius, aut sincerius, aut melius, ne nihil hic egisse videamur,  
 cum Diogene Cynico dolium etiam nostrum volvere  
 duximus, Cumque alii jam excellentes viri in persua-  
 nandis his sive papulis, sive ulceribus, magnorum justu  
 Principum, occupati sint, itaque nos, ut minutia quidam  
 curatores, ea tantum, quæ à Clarissimis Jure Consultis, O-  
 ratoribus atque Politicis hac in causa prolata memini-  
 mus, Discipulis nostris, ut plena politioris sapientiæ civi-  
 lisque prudentiæ, ductu celeberrimi cujusdam Oratoris &  
 Politici, inculcare haut inutile futurum existimavimus,  
 Prodiabit igitur in medium

I. CHRISTOPHORUS MEISNERUS, *Alten-*  
*berga Misnicus*, ac inter maxima orbis mala lites esse  
 ostendet.

II. JOH. GOTOFREDUS MÜLLERUS, *Rei-*  
*chenbachensis*, constituendos esse publicos arbitros,  
 quorum judicio lites quam primum terminentur, mo-  
 nebit.

III. JOH.

(n) Centur. III. Epist. (o) c. 34. p. 539. conf. lib. V. c. 13.

FK II 584

III. JOH. CHRISTIANUS *Goldammer*, *Gies-  
bübelensis*, ut lites cito finiantur, abrogandum esse jus  
subtilius perfvadere conabitur.

IV. JOH. HENRICUS SEIZ, *Dresdensis*, Cin-  
ciam legem optimum esse litium remedium contendet.

V. *Gottbelff Friedemann Henning*, *Dresdensis*, in ra-  
bulas, ut plerumque litium auctores, & propagatores  
styli mucronem distringet.

VI. JOH. CHRISTIANUS *Sommer*, *Dresden-  
sis*, veros Jureconsultos, qui cum laude in foro versantur,  
lumenque ingenii porrigunt consulentibus, debitis lau-  
dibus efferet, & tandem

VII. *Gottlob FRIDERICUS GVILIELMUS  
JUNCKERUS*, *Schleusingenensis*, postquam de Gen-  
tilium Præstitibus Justitiæ quædam orasset, suo Con-  
discipulorumque nomine venerandis, DN. INSPECTO-  
RIBUS, PATRONIS, PRÆCEPTORIBUS atque  
SCHOLÆ valedicet.

His omnibus Auditores frequentes ac benevolos, qua  
debet pietate atque observantia, advocamus, & digreden-  
tibus à nobis in celeberrimas Provinciæ nostræ Academias,  
simul etiam iis, qui eos præcessere, videlicet PAULO DA-  
NIELI LONGOLIO, & MARTINO *Gottlieb Kerstan*,  
*Dresdensibus*; *Gottlieb LUDOVICO Aster*, *Közenbro-  
densi*, FRIDERICO SAMUELI *Friese*, *Ostficensi*, quique  
post paulo his sese socium addet, HENRICO FRIDERI-  
CO MENZERO, *Borlassensi Misnico*, invidendos opti-  
mis in studiis progressus apprecamur, quo benecepta ad  
finem exoptatissimum, Deo benigne juvante, Juvenes  
optimi, bonorumque omnium favore dignissimi, perduce-  
re possint. Ita fiat! P.P. in Electorali Dresda

d. 27. Aprilis, Anno partus salutiferi  
M DCC XXIV.



HOI II  
HOI III  
HOI IV

me



ULB Halle

3

003 857 62X





II n  
584

ORATIONES  
ALIQUOT  
DE  
LITIBUS  
IN REPUBLICA

*aut plane tollendis, aut saltem brevi  
finiendis*

JUVENES NONNULLI

Optimis studiis, morum probitate, ingeniique  
præstantia instructissimi,

AD

ELEBERRIMAS ACADEMIAS

*ex umbraculis Scholæ nostræ digressuri*

CRAS,

DEO benigne annuente,

finitis Sacris pomeridianis

*habebunt,*

simulque gratis pro tot acceptis beneficiis decenter perfolutis  
*valedicent;*

Hos ut

ATRONI, OMNESque REI  
SCHOLASTICÆ ÆSTIMA-  
TORES NON INIQVI

*audire ne dedignentur,  
perhumaniter atque officiose*

ALTERO HOC DE HUNNIS SCHEDIASMATE  
convocatum it

*JONAS GELENIUS, Cruciani Rector.*

DRESDÆ, Imprimebat JOH. CONR. STÖESSELIUS, Typ. Aulic.

